QUÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Iovis primâ Martii.

M. FRANCISCO PICOTE' DE BELLESTRE, Doctore Medico, Præſide.

An Medicinæ ſcientia ducit ad cognitionem Authoris naturæ?

I.

MEDICINA, potentiſſimorum olim Regum deliciæ, ſuiſque clara perhonorificis titulis, à mundi cunabulis ortum repetit, agnoſcitque pro ſui parente Deum optimum maximum, à quo ſuum omne accipit decus atque authoritatem: hæc ad calamitatem humanam ſublevandam edita eſt, ibique tunc manus auxiliares admovet, ubi nulla dignitas, nec alia quæ maximo in pretio haberi ſolent, poſſunt opitulari: Id tamen habet commune cum bonis Principibus, ut bene faciat ac malè audiat: Verum ab iis tantùm deſpecta eſt, qui, aut eam non callent, aut qui eâ leviter imbuti, perpauca balbutiunt: illa quippe eſt hominum generi pro ſummo beneficio conceſſa; vitam enim datam tuetur, fugientem retinet, morbos tanquam ejus hoſtes admodum infenſos oppugnat, & ſanitatem, ut bonorum omnium condimentum, corporibus & animis procurat, cunctis vitæ commodis præferendam: hæc à ſuis ſacris rejicit ἀμούσους, circumforaneos, impios votorum deſertores, & alios ementito nomine Medicos, qui devium quoddam iter, & à concilio æquitatis & conſcientiæ pererrantes, divinæ hujus ſcientiæ ſplendorem turpiſſimis artibus obſcurant, quibus aliquando vulgus ſtupidum & imperitum credit, licet periculum ſit in nullo mendacio majus; cum ſalutaris hæc diſciplina, quæ non immeritò pleriſque Sapientiæ pars, nonnullis ejuſdem ſoror eſt habita, ſui dumtaxat legitimos cultores Philoſophos agnoſcat, adeo ut & morborum curatio & rerum naturæ contemplatio ſub iiſdem authoribus ſit nata, truncaque & debilis Medicina cenſeatur abſque ea naturæ rerum cognitione; unde non anguſtis terminis circumſcripta tenetur, ut quæ occupatur circa rerum creatarum univerſitatem, quarum facultates acriter inveſtigat, ut quicquid ad ſalutem hominis utilitatem & commodum referri poteſt, non perperam & perversè, ſed rectâ viâ æquâque ratione in uſum adhibeat.

II.

CERTE mirum eſt quantum luceat Dei præpotentis majeſtas in tanta operum quæ edidit varietate & multitudine, quæ Medicinæ navans operam diligenter ſpeculatur, dum enim ſurſum vergit oculos, hos grato paſcit ſpectaculo ampliſſimum cœli theatrum, tot ſideribus conſpicuum, quorum diverſos maximè & ordinatos motus, variaſque in hæc ſublunaria vires obſervat; ut ex Solis cæterorum principis acceſſu & receſſu, vita ac interitûs viventibus omnibus præſentiſſimè immittitur, ut in exporrectiſſimum telluris gremium infundit teporem ſuum æthereum, cujus fotu ſalutari recreata, ſuas divitias parturit & in lucem profert; aëris quoque animabilem ſpirabilemque naturam expendit, vim illius adeo diverſam & efficacem ad corpus immutandum, ut anni tempeſtatibus, ventis, cæli ſtatu, locorum ſitu, crebras accipit mutationes; perſcruatur elementorum indolem, eorumque inter ſe concentum admirabilem, ut ex his quatuor tanquam ex primis principiis corpora componuntur, ſummâ diſcordium qualitatum concordiâ; vapores quoque in nubes concretos, quique in pluviam reſoluti terram fœcundant, quam definit nunquam mirari veſtitam arboribus, herbis, floribus, fructibus, frugibus, tum ad victum, tum ad medelam ægritudinum numero penè infinito ex ejus ſinu prodeuntibus; animadvertit etiam quanta ſit brutarum animantium varietas, & quanta ad eam divina vis, ut in ſuo quæque genere permaneant, ut ſenſu & appetitu naturales paſtus capeſſant, & peſtifera ſecernant à ſalutaribus; & ſubiens terræ viſcera, lapides, mineralia, metalla reſpicit ſuis quæque prædita virtutibus, aurumque inter ea magni apud quoſdam in Medicina nominis, quod cordi conferat, licet veritati conſentaneum ſit, nullâ aliâ ratione eſſe cardiacum, quam quod poſſeſſoris animum exhilaret: nunquid ex iis, aliiſque innumeris tam magnificis & tam ſapienter inſtitutum ordinem ſervantibus, prodit veritas etiam non quæſita, ſcilicet hæc cuncta divini numinis nutu ad ſalutem omnium conſervationemque mirabiliter produci atque adminiſtrari?

III.

ΣΟΦΟΥ illius Δημιουργοῦ vim admirabilem humani corporis compoſitio potentiùs prædicat, in cujus cognitione humanæ divinæque Philoſophiæ principium continetur, quâ vix quidquam ornatius, quidquam aptius & perfectius potuit fabricari, in cujus contemplationem tanquam Medicinæ fundamentum totûs Medicus incumbens, ratione & oculis perluſtrat miracula formationis fætus, naſcendi modum incredibilem, turgeſcentes ſtatim à partu mammas, quæ tanquam fontes naſcentes albis & dulcibus ſuccis è ſanguine genitis diſtenduntur ad fætûs alimoniam; ſeriem eamdem & ordinem membrorum; hominum formas in tot millibus diſcrepantes, externarumque partium juſtam & exquiſitam proportionem, quantus earum lepos, quanta venuſtas, ut quælibet alteri co-

gnatæ æquiſſimâ dimenſione reſpondet; quam ſunt mirabiles oſſium commiſſuræ ad ſtabilitatem & penè omnem corporis actionem idoneæ; quam multarum artium miniſtræ manus, quibus artifices in rerum natura per inſitiones arborum, aquarum ductus aliaque quamplurima quaſi alteram naturam efficiunt: Et abditiores corporis receſſus ingrediendo, inſpicit imprimis præcipua vitæ domicilia cor & hepar, ſanguinis & ſpirituum vitalium officinas, naturalemque inter ſe earum partium conſpirationem penetrat, mutuaſque operas, ut toti corpori ſanguinem & ſpiritus ſubminiſtrent, omnium actionum inſtrumenta, ſine quibus totum rueret opificium, nec vita poſſet conſtare: ut eadem & ſingulari divini numinis providentiâ, partes ſordibus inquinatæ & fœdæ in locum imum velut in ſentinam corporis relegatæ ſunt; ne tetris nidoribus cerebrum, principum facultatum ſedem offundant, & in ejus ſubſtantia tanquam in arce regia puriores purgatioreſque ſpiritus animales cudantur ſenſui & motui actionibuſque nobilioribus exercendis deſtinati, cujus divinæ partis elegantem fabricam, venarum arteriarumque contextum, nervorum propagines & progreſſus toto corpore pertinentes, quis attentis cernens oculis non ſuſpiciat? Univerſi demum corporis pars quælibet quantumvis exigua, ſenſibus tanquam incorruptis & integris teſtibus occurrens, veluti manu, ad Dei cognitionem ex qua oritur pietas, contuentes deducit, qui ad diſtinctionem cæterorum operum, non verbo, ſed familiari manu opus illud admirabile concinnavit.

IV.

QUONIAM vero corpus humanum, cujus partes inter ſe omnes artificio tam ſingulari conſentiunt, animi gratiâ conditum eſt, nobilem hanc hominis partem, quæ ex magnorum virorum opinione totus homo eſt, ſeu quæ totum hominem conſtituit, eſſe quid præſtantiſſimum ex tam illuſtri & ſplendido domicilio licet conjicere, cui tanquam dux & dominus præfectus eſt, ut vitam illius pulcherrimè gubernaret: Et quamvis utriuſque varia ſit indoles atque conditio, habent tamen quoddam commune vinculum, & tanta inter ſe ſocietate connectuntur, ut quandiu animus alligatur corpori, nullas abſque ejus commercio functiones adminiſtret: non tamen vitium eſt animi ſed corporis, ſi nimia ſenectus fregerit membra, ſi viſus evanuit, ſi lingua torpuit, ſi auditus obſurduit. Cum autem ad animi naturam atque dignitatem attendit Medicus, eum quoque eſſe ejuſdem pretii in utroque ſexu, eſſe etiam principium functionum omnium quæ obeuntur in corpore tacitus apud ſe cogitat; rationis eximio munere cæteris animantibus antecellere perhibetur, ferociores cicurat, ſuoque reddit obſequentes imperio; hoc lumine res incorporeas & ab omni materia ſegregatas complectitur, & quod maximum eſt, ſe ipſum videt, ſpeculatur, intelligit; cauſarum & eorum quæ ex iis ſunt, ordinem ac connexionem intuetur: & ſicut arbos gravida fru-

ctibus ſatori curvatur ſuo, rivuli fontem ſuum agnoſcunt & radii ſolem, ſic hæ mentis dotes præclariſſimæ, quibus eorum omnium quæ infra lunam ſunt, nihil poteſt ſuperius excogitari, ſuam ſapiunt originem, & veluti linguæ vociſque compotes, Authoris divini potentiam ſapientiam ac bonitatem mirificè declarant.

V.

CUM igitur per ſingulas mundi partes Dei majeſtas & ſapientia ſplendeat, oculiſque noſtris hujus imago ſeſe paſſim objiciat & inculcet, quam iniquus ille erga Medicinam Judex temerè contendit, hujus Profeſſores, curvas habere in terras animas & eſſe cœleſtium inanes, illos omnem ſuccum impietatis imbibere, rerumque omnium cauſas & effectus ſoli naturæ aſcribere, calumnioſè judicat; quaſi verò rebus philoſophicis & medicis addictiſſimos fugiat diſcrimen quod intercedit inter τὸ ὂν καὶ τὸ γιγνόμενον divini Platonis, eoſdemque lateat, quantum ſervus à domino diſcrepet, quantum effectus à causâ, quam ſit finita naturæ potentia, ut ſui diſſimilia nequeat effingere, Deique famula & miniſtra audiat. Quoniam vero nulla eſt gens tam fera, cujus mentem tacito naturæ impulſu non imbuerit divini Numinis opinio, & innatus ſit omnium hominum animis religionis ſenſus, ſcientiâ Medicinæ non parum intenditur atque confirmatur, quæ ubique Deum videt, & quaſi manibus ipſis, (ſi ita dicere fas eſt) attrectat; illius plena eſſe omnia percipit; quem inſuper ſtabilis ordo ſiderum enuntiat, circumſcripti mari fines declarant, aëris vaſtitas & utilitas prædicat, admirabilis corporis compages, animi nobilitas & perfectio, utriuſque nexus & conjugium manifeſtant; quicquid demum gignit & in ſe continet terra, Deum ſpirat, teſtatur, loquitur, eumque authorem eſſe rerum omnium naturalium tam apertè demonſtat, ut omnino conſtet poſſe reperiri neminem, qui ex tot ſtupendis operibus, ſibi potiſſimùm Medicinæ lumine perſpectis atque intellectis, ad hujus cognitionem & venerationem non rapiatur.

Ergo Medicinæ ſcientia ducit ad cognitionem Authoris naturæ.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Joannes Cordelle.	*M. Joannes Robert.*	*M. Tuſſanus Fontaine, Profeſſor Regius.*
M. Petrus Yon.	*M. Ludovicus Gayant, Medicus Regis ordinarius.*	*M. Franciſcus Pajot.*
M. Antonius de ſaint Yon, Medicus Regis ordinarius.	*M. Franciſcus Vezou.*	*M. Nicolaus Richard.*

Proponebat Pariſiis FRANCISCUS POITOU, Virienſis Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1685.

PARISIIS,
Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.